



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Peroratio Operis. Cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

tur tribui equis, hoc est, facultatibus appetentibus; quoniam nutritio, & expletio ad facultatem appetentem propriè pertinent, vt etiã gaudium inde consurgens. Hæc primò, & propriè Diis conueniunt; qui supra cælum ad cœliuium, & dapes tendere dicuntur: in propria tamen conditione, & gradu etiã conueniunt animis hominum; quamuis non ita, vt Dij, eleuentur sublimes. His metaphoris Plato eleganter, & doctè cuncta explicauit ad fœlicitatem, & ad gaudium eius comitem pertinētia; ita sublimia ingenia docuit; vulgaria verò demulsi, & oblectauit. Verùm cum post varios decursus, cum post descensum à primo rerum principio vsque ad postremam materiam, iam in principium primum reuersi sumus; in eoq; fœlicitatem, summum gaudium, finem què nostrum inuenerimus: conueniens esse duxi, vt Deo gratias agentes, in eo optimo fine, nostrorum laborum finem statuamus; & non sine gaudio, in eo immenso gaudio requiescamus.

Peroratio operis:

CAP. VII.



Atissimi sunt campi Platonice contemplationis, & à viris diuino potius, quàm humano ingenio præditis accuratè culti. Hos ego, qua potui, breuitate percurri; summa potius tangens fastigia rerum, quàm exactè cuncta perquirens:

Verfa-

Verſatus ſum præſertim in attinentibus ad
contemplationem. Ciuilia vero, in quibus A-
cademici ſummopere refulſerunt; ob tempo-
ris anguſtiam, & quoniam eminenter in ſa-
pientia, & contemplatione contineri iudi-
caui, ſilentij velo obuolui: ſpero tamen, ſi Di-
mihi ocium, viresque ſuppeditabunt; in alia
huius operis editione, & hæc limatiùs, & reli-
qua cumuſatiùs me explicaturum. Interim ex
his ſatis conſtare cenſeo; inaniter eos labora-
re; & oppoſita, Heracliti more, in idem tenta-
re redigere; qui Ariſtotelem manuſtiſſimè à
Platone diſſentientem, nituntur cum Platone
conciliare. Ac in ſuper conſtare cenſeo, Platonis
ſententias non adeò eſſe paruipendendas,
nec tam leuiter reiiciendas; vt frequenter id
fieri conſpicimus, vel ab Ariſtotele, vel à ſe-
ctatoribus eius. Ab Ariſtotele primò, qui sæ-
pe sæpiùs potiùs verba Platonis, quàm ſenten-
tiam damnat; & ſi ſententiam arguit, id effi-
cit rationibus ſatis leuibus, facileque ſolubili-
bus. A ſectatoribus verò Ariſtotelis negligi-
tur Plato: vel quia nimium in verbis Ariſto-
telis iurarunt, ei que vni, tanquam ſaxo, ſint
affixi: adeò, vt eis præcluſum ſit iter liberè
philosophandi: vel quia in fertiliſſimis Aca-
demicorum campis minimè verſati, eos fru-
ctus reſpuunt, quos non deguſtarunt; ac eo-
rum iudiciù ferre audent, quod minimè nouerunt.
Quod viri iudicio, ſapiètiaque inſignes, nequaquam
fecere; vt Diu⁹ Auguſtinus, Magn⁹ Dionyſius

Areopagita, admirabilis Galenus, Cardinalis Bessarion, Ioannes Picus, & alij quamplurimi; qui Platonem summopere commendarunt, vehementerque sunt admirati. Immo Theophrastus, qui nedum disciplinæ, verum etiam affinitatis nexu, cum Aristotele iunctus erat; defuncto Aristotele, in Academiam inclinavit; & Academicorum placitis, veluti illustribus ornamentis, suos libros splendidissime decoravit. Patere demum censeo, quam magnificè sententiarum varietate, & splendore animum nostrum exornent; quam facile ad sublimia nos eleuent, quam pios erga Deum nos reddant; quam in multis conueniant Platonice contemplationes, cum decretis Sanctorum Patrum Christianæ religionis, cumque reuelationibus Prophetarum. Quod si Platonis verba non in omnibus Christianam redolent veritatem, mirum non est; quia homo non æquatur Deo: Mirum hoc potius cense-ri debet, quod homo his tenebris circumfus, suo ingenio tot veritati consentanea attingere valuerit. Propterea, si quid à me in his libris dictum inuenietur, quod cum decretis Christianæ religionis non conueniat; sciant omnes me id protulisse, non quia ita sentiam, sed vt Platonis sententiam patefaciam: mihi enim exploratissimum est pertinentia ad Diuinam Trinitatem, ad Diuinationem, ad Mundi creationem, ad immortalitatem animæ, ad Naturam & conditionem hominis, adque

adque alia huius generis, minimè fuisse nota
Philosophis; sed cognitionem eorum nos ex
sacris fontibus debere haurire: quorum de-
creta in me adeò sunt firma; adeò certa, & ex-
plorata; ut pro eorum seruanda veritate,
etiam vitam expirare para-
tus sim.



FINIS

Libri Decimi & Vltimi.

Bb

